



1597/3

4

PHYSIOLOGICARVM DISPUTATIO-
NVM SECUNDA

DE TEMPERA-
MENTIS,

Quam

D. A. N.

PRAESIDE CLARISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO VIRO
DN. DVNCANO LIDDELIO, Phi-
losophiæ & Medicinæ Doctore, ac Mathema-
tum superiorum Professore publico
in academia IVLIA,

*Pro ingenij sui modulo
defendere conabitur*

GVILIELMVS GROSS VRATISLA-
uiensis Phil. & Med. Studiosus.

HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCVII.

3
E

PHYSIOLOGICAE DISSECTATIO
PRIMA
DE TEMPERA
MORBUS
ANIMAE
ET ASSIDUE CLARISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO VIRO
D. M. D. N. J. NO. LUDWIGIO
Solebit & Medicae Doctor, ac
cum Iurisdictione Praeside
in Academia LYVA
Proposuit & scripsit
Gottfriedus Wagnier
O. H. TEMMEL'S GROSS WIRTSCHAFT
HEIMARSTADT
EXCUBIT JACOBIUS WAGNER
M. D. XVII



DE CORPORIS HUMANI TEMPERAMENTIS.

Thesis I.



*N*perfecta mixtione ex mutua contrariarum qualitatum actione, oritur, quod grecis $\kappa\omicron\gamma\omicron\sigma\iota\varsigma$, latinis temperies, temperatura, aut temperamentum proprie dicitur: & quia plura in se complectitur, à nonnullis Complexio vocatur.

2. Quomodo verò in mixtione ex illa contrariarum qualitatum pugna, $\kappa\omicron\gamma\omicron\sigma\iota\varsigma$ oriatur, & quid proprie sit, non omnes consentiunt. Alij volunt ex illis quatuor qualitibus planè corruptis, oriri vel duas medias qualitates, vel unam communem, potestate ceteras quatuor continentem, qua temperamentum dicitur: hæc posterior opinio Auicenna ascribitur. Fernelius contra ex qualitibus summis, iunctis, & permanentibus, oriri $\kappa\omicron\gamma\omicron\sigma\iota\varsigma$ putavit.
3. Cum autem temperamentum omnium consensu sit, quod ad actiones benè vel malè obeundas mixtum disponat, qualitas dici poterit, orta, non ex primis qualitibus planè corruptis: sic enim & mixtio & mixti dissolutio nulla erit, ac medium illud unius potentie semper permaneret, sed ex primis confusis & ad eam unitatem reductis, quæ formæ illius mixti proprie convenit.
4. Non tamen ex qualitibus extremis, iunctis, & permanentibus $\kappa\omicron\gamma\omicron\sigma\iota\varsigma$ oritur, ut Fernelio videtur, sed ex qualitibus mutua actione & passione primum alteratis, remissis, & refractis deinde unitis: alioqui consequeretur, unum contrarium in aliud nunquam transire, & cum Empedocle, elementa incorruptibilia semper permanere, nullamq; mixtionem esse, quæ miscibilium alteratorum unio definitur.
5. Nam proprie mixtio non est, ubi qualitates extremae in summis gradibus permanent; aut ubi una qualitas alteram planè vincit, &

in suam naturam conuertit; sed ubi mutua actione & passione contraria qualitates sese contundunt, & reprimunt, donec ad concordiam & unitatem deueniant, quod non fit sine alteratione totius per totum.

6. Hec unio & concordia temperamentum proprie est, & mixtis perfectis tantum tribuitur. Ut enim unione substantiarum elementorum fit mixtio, mixtiq; generatio; ita unione qualitarum regionis: & ut substantia elementorum sunt materia mixtionis, ita qualitates elementorum sunt materia temperamenti: qualitates elementorum dico, ut vires illorum proprias, & non simpliciter qualitates, quae pro modo subiecti sui vires variant: Nam eadem caloris in aere & igne vis non est, nec frigoris in terra & aqua: praeterea, nec pari mole omnia elementa ad mixtionem concurrunt ut alibi diximus.

7. Medici vero nonnulli temperamentum cum mixtione confundunt: Nam aliqui temperamentum ipsam mixtionem, aut mixtionis rationem dicunt: alij in mixtione duplex temperamentum statuunt, unum ex permixtione substantiarum alterum ex qualitarum. Galenus 1. de element. cap. 9. temperamentum vocat, ipsam elementorum commoderationem, & secundum potestatem aequalitatem: verum passim in lib. de temp. qualitatem vocat, alibi, ut 1. de usu part. c. 9. substantiam & formam.

8. Cum autem temperamentum sit propria & proxima actionis causa: actio enim omnis a forma; forma vero sine necessarijs instrumentis efficax non est: Nam quatuor sunt quae in animato corpore coheret, functio a facultate, facultas a forma mediante partis temperamento ut dispositione necessaria: proinde Galenus temperamentum alibi qualitatem vocauit, quatenus est diathesis orta ex mixtione elementorum: sine qua efficax non est forma. Alibi ipsam substantiam & formam appellauit, quatenus substantiam partium determinat, ut necessaria conditio & materia dispositio pro forma educenda & conseruanda, sine qua non subsistit, & per quam proprie operatur, & tum ut Medicus proximam euentem, instrumentalem causam pro prima sumit.

9. Nam

9. Nam medico forma, qua pars agit aut patitur est temperamentum, & ut Gal. 7. Meth. c. 3. scribit, conservare temperamentum est conservare actionem & formam. An vero forma, & principalis aliqua virtus sit, dans esse temperamento; Philosophi magis est, quam medici, inquirere.

10. Finis igitur temperamenti est, non solum quocumque modo operationes formarum adiuuare, sed instrumentum necessarium esse sine qua non operatur vlla substantia aut pars; Habent quidem formae omnes naturales ingenitam agendi vim, quam non exerunt nisi in subiecto apte disposito & preparato: apte disponitur temperamento velut proprio instrumento: quare, ut diuersa sunt partium temperamenta, ita forma exercet suas facultates, ac diuersas & discrepantes edit actiones. quod Gal. 7. Meth. cap. 3. innuit, ubi actionem partis propriam ab alterius ita differre dicit quemadmodum temperatura à temperatura.

11. Quare temperamentum proprie ut instrumentum ad aliud semper dicitur, & qualitas simpliciter non est, nec unione primarum qualitatum tantum definitur, sed unione in ea proportione qua inseruit formae mixti tanquam primario artifici: similitudine concentus in voce & fidibus. Nam ut uniuscuiusque cantus sua est vocum harmonia, ita in generatione mixti, contrariae elementorum qualitates coeuntes temperamentum non efficiunt, aptum actionibus illius formae nisi concordia harmonia & mediocritate coeuntes ad talem gradum reducantur qualem mixti perfecti in suo genere forma postulat.

12. Ex quibus colligitur quod temperamentum sit harmonia siue unita quaedam proportio, quatuor primarum qualitatum orta ex mixtione perfecta in hunc finem, ut sit velut instrumentum necessarium ad omnes mixti illius perfecti actiones.

13. Quia vero in mixtione perfecta calori naturali vis agendi primario tribuitur, ut ab Arist. 4. Meteor. c. 1. demonstratur, in eo praecipue temperamentum consistere videtur, licet omne temperamentum calidum non dicatur: quo calore corrupto mixtum necessario resoluitur.

14. Calor autem naturalis duplex est: unus compositus siue complantatus, mixtis homogeneis & partibus similaribus proprius, qualis calor ex quavis perfecta mixtione oritur: alius incompositus siue innatus & uiuificus, corpori animato proprius, vi plastica seminis in prima generatione productus ut proximum anime instrumentum. Hic, ut ab anima dirigitur commune omnium partium vinculum est, ac toti animato corpori largitur tale temperamentum quale illa animati species postulat.

15. Quare alia temperamenti ratio est in inanimatis, ut mineralibus & metallis: alia in animatis: Nam in metallis, gemmis, & alijs corporibus homogeneis aut similaribus, totum & singulae partes unius sunt temperamenti; In animatis vero, diuersa sunt singularum partium temperamenta, ob diuersum calorem partibus similaribus conuatum, diuersamq; structuram: & totum in quavis specie ex diuersis partium temperamentis, unum temperamentum obtinet, propter illud unum calorem innatum partes continentem. Huius ratione animalia calida & humida dicuntur, non absolute, sed ad demortua collata & stirpes in quibus calor innatus non adeo viget. ut Galen. 1. de temp. c. 5. voluit.

16. Verum in animalibus duplex apparet temperamentum unum fixum, innatum, siue radicale, ortum in prima conformatione ex semine & materno sanguine, sub quo sexus temperatura continetur: aliud fluens ortum; non tam in prima conformatione quam post ex ijs quae extrinsecus accedunt. Hoc perpetuo mutabile est ob res non naturales, licet non semper transeat limites sanitatis: deinde, facile restituitur: verum radicalis temperatura licet aetatum decursu, caloris natui in humidum actione, & grauissimorum morborum incursum varietur, penitus tamen ante dissolutionem mixti non extirpatur, nec facile aut vnquam restituitur ut in febre hectica apparet. Haec radicalis temperatura in animatis est, de qua hic proprie agimus.

17. Temperamenti diuisio ex vario contrariorum concursu sumitur. Quot enim modis variantur in mixtione elementorum vires, tot temperamentorum differentiae oriuntur. 18. In

18. In mixtione, aut mensura elementorum omnium equalis concurrat, siue qualitatis primæ viribus pares, aut impares vires & in equalis mensura. & facultas elementorum: Vbi autem equales contrariorum vires occurrunt refrangentes sese in puncto medio, inter extrema, mixtum quoddam exquisitè & simpliciter medium oritur, & temperamentum absolutum quod $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\alpha\tau\upsilon$ & $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon$ vocatur: ac quoq; temperamentum quo ad pondus.

19. Vbi autem qualitates viribus impares, & elementorum inequalis mensura ad mixtionem concurrat, mixtum absolute temperatum non oritur, nec temperamentum absolute medium, sed quiddam alicui nature & functionibus eius tantum accommodatum; distans in quadam latitudine à medio quo ad pondus, intra certos terminos. aliud enim accommodatum est uni nature omnibusq; eius functionibus quod alteri non est. Quare, tale temperamentum in ea mediocritate est, quæ ad potestatem tantum refertur, & unicuiq; pro dignitate & nature modo conuenit: quale quid iusticiam esse dicimus, quæ suum cuiq; pro dignitate tribuit, unde temperamentum ad iusticiam vocatur.

20. In isto inequali qualitarum concursu, aut una qualitas ceteras vincit, siue excellit, aut duæ ceteras duas; nunquam autem tres unam: si una semper qualitas intelligatur ceteras vincere, quatuor simplices oriri poterunt temperaturæ, nimirum, calida, frigida, humida, sicca: si duæ, ceteras duas: quatuor compositæ siue coniugatæ, nimirum calida sicca, calida humida, frigida sicca, frigida humida. Quare ex sententia Galeni, nouem erunt temperamenta, unum absolute medium, $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\alpha\tau\upsilon$ dictum, octo illius mediæ respectu duorogata siue intemperata.

21. Nihilominus tam philosophi quam medici simplicia quatuor temperamenta una cum medio omiserunt, & aliqui duo tantum temperamenta calidum siccum, & frigidum humidum posuerunt. Ceteri, ijg; illustriores, quatuor composita temperamenta: & Athenæi sectatores, temperamentum perfectum sub calido & humido comprehendi dixe-

dixerunt. Existimarunt forlasse (ut Auerrhoes,) actiuas qualitates in mixto sine suis passiuis non consistere.

22. Verum, cum omnis mutatio à contrarijs, & ex contrarijs, fiat, in contraria: in mixtione quatuor qualitatuum contrariarum fieri posse videtur, ut unum contrariorum ab altero vincatur, ceteris duobus ad aequalitatem reuocatis, tamen tale medium absolute non est, sed sensibile solum, & quo ad nos, paruo tempore durans. Nam una duorum qualia sola non diu durat; Quare de temperamento medio ad pondus quod sub calido & humido comprehendi nequit, ut recte demonstrat Galenus, an reuera in natura sit, & an temperamentum dici debeat, cum ad actiones tantum referatur, dubitari non iniuria poterit.

23. Tale quoddam medium temperamentum dari posse, mixtione artificiali ex aqua feruentissima & frigida: item ex aqua & cineribus Galen. 1. de temp. c. 9. ostendere conatur: cum tamen miscere sit Dei & natura opus, & temperamentum illud, tantum sensibus tale videatur, nec perfectum sit: verum 1. de Sanit. tuen. c. 5. medium tale vix inueniri, & si inueniatur, propter infinitas mutationes, ne momento quidem subsistere fatetur.

24. Quare imaginatione potius concipitur, quam reuera subsistit, ut norma & mensura excessuum & defectuum, cuius mensurae consideratio necessaria iudicatur, non solum ut per hoc medium, tanquam per mensuram alias temperaturas examinemus, & intelligamus: sed etiam, ut in hoc medium velut, in normam intenti, unicuique conuenientem dietam praescribamus, & statum corporis intemperatum corrigamus. Quare Galenus temperamentum ad pondus, statuae Policleti comparauit, quam canonem artifices vocarunt, quod partium omnium competentiam ad unguem haberet.

25. Verum cum temperamentum proprie aliquid in natura sit, & ad actiones referatur & functionum gratia dicatur, illud temperamentum perfectissimum erit, à quo perfectissima functiones, quale non est temperamentum ad pondus, regula tantum excessuum & defectuum

fectuum in imaginatione consistens: sed illud ad iusticiam, actionis causa, propinquum tamen canoni, temperamento scilicet ad pondus.

26. Deinde illud in toto animatorum genere perfectissimum temperamentum habebit, quod praestantissimas & perfectissimas actiones edit; Praestantissimas autem actiones edit homo, igitur in toto animatorum genere humana species temperamentum perfectissimum habebit. Praeterea in humana specie, ille, qui functiones, tam animi quam corporis praestantissimas habet, & εὐταπεισ sit, temperatissimus erit, cuius respectu ceteri homines intemperati dicuntur, calidi nimirum, frigidi, humidi, aut sicci.

27. Ex quibus apparet, (ut docet Galen. 1. de temp. c. 6.) εὐταπεισ & σὺμμετερον multis modis dici, sicut quoque intemperatum, calidum scilicet, frigidum, humidum, siccum, quae elementis absolute quidem insunt, mixtis vero in comparatione tantum tribuuntur. Quare ubi de temperamento alicuius mixti queritur, absolute respondendum non est.

28. Nam medium siue σὺμμετερον aliud absolute consideratur in toto substantiarum genere, aestimando pares elementorum vires, & non actiones, quale medium, ut diximus, norma tantum est excessuum & defectuum, verum ut Galenus demonstrat, huic in natura correspondere videtur cutis hominis temperati, imprimis vola manus; instrumentum praecipuum tactus, & regula sensibilibus.

29. Deinde aliud medium consideratur in uniuerso animatorum genere, ex actionum perfectione & dignitate: id ut diximus est homo aut humana species, cuius collatione, animalia alia dicuntur calida, alia frigida alia humida alia sicca.

30. Tertio qualibet animata species propriam temperaturam habet, naturae suae conuenientem, in magna latitudine; quare in quavis specie, medium siue σὺμμετερον aliquod consideratur, quod ex actionis praestantia iudicatur. & illud in quavis specie εὐταπεισ dicitur, quod optime se habet, & functiones suas perfectissime exercet.

31. Hoc σὺμμετερον diuersimode consideratur, aut enim ratione

B

omnium

omnium gentium omniumuè climatum, quo modo sub quarto climate temperamentum perfectissimum erit: vel ratione certi alicuius climatis & regionis: Nam alia est constitutio Scythis qua sani sunt, alia Indis: atq; hoc respectu medium in quouis climate erit, cuius ratione alia corpora dicuntur intemperata, calida, frigida, humida, vel sicca.

32. Præterea indiuiduum aliquod temperatum aut intemperatum dicitur, ad quiduis obuium conferendo: vel etiam sui respectu propter temporis, ætatis dictæ, & similibus diuersitatem.

33. Eadem in partibus consideratio est vel respectu totius, vel ad se inuicem. Nam homo respectu omnium partium in toto aut æquabiliter temperatus dicitur, aut inæquabiliter. AEquabiliter autem, non quia omnia membra vnias sunt temperamenti sed quia omnium membrorum diuersè temperaturarum debita proportio & competentia est: quæ competentia, si fuerit partium singularum perfectè temperatarum, non solum æquabiliter, sed etiam perfectè temperatus dicitur: Inæquabiliter verò temperatus vocatur, si non sit omnium partium naturalis ἀναλογία, sed aliæ iusto calidiores, aliæ frigidiores, ut Gal. 2. de temp. c. 6. explicat.

34. Deinde ubi partes inter se comparantur, aliæ temperata iudicantur aliæ intemperata, calida nimirum, frigida, humida, vel sicca. Eadem ratio est in ætatibus, temporibus anni, alimentis, medicamentis, ac in summa in rebus naturalibus & non naturalibus, quæ omnia vel actū talia sunt, vel potestate: quæ autem actū talia sunt horum prompta est cognitio, utpote quæ tactū propriè discernuntur: quæ verò potestate, id quod dicuntur, parua intercedente mutatione fieri possunt; ac ratione potissimum æstimantur, ut Galen. 2. de temp. c. 2. demonstrat.

35. Verum ut à partibus incipiamus, primum id tenendum est, omne molle vel durum, mediocri calore præditum, humidum vel siccum esse. Deinde omne exaigue frigidum: contra, omne sanguine abundans, calidum, verum sanguinis vocabulo. & venalis & arterialis intelligitur. Quare quæ pars inter hæc medium locum obtinet, tempera-

omnium

8

pera-

peratissima erit, talis est cutis in homine, maximeq; in vola manus,
& in summitatibus digitorum. ut ex usu & compositione eiusdem.
Gal. 1. de temp. c. 9. ostendit.

36. Quare cum hac collata alia partes intemperata dicuntur ca-
lida frigida, humida, sicca, ac primum ex partibus cor, licet ob com-
positionem minus calidum videatur ob sanguinis & spiritus copiam
pars calidissima iudicatur. Deinde iecur, hinc caro musculorum, lien
& renes.

37. Deinde partes frigida alia simul dura siccaq; sunt, alia humi-
da: frigidissimus autem & siccissimus est pilus & que extra promi-
nent: deinde os & cartilago, hinc $\chi\omicron\upsilon\delta\pi\omicron\sigma\lambda\omega\delta\epsilon\sigma\mu\omicron\varsigma$, post tendo, de-
inceps membrana, arteria, vena, tandem, nervi duri: Nervi vero
molles, frigidi quidem sunt, sed mediam in siccitate & humiditate
naturam obtinent, ut cutis: Frigida simul & humida sunt 1. adeps,
quia frigore concrevit, deinde medulla osium, hinc cerebrum & spi-
nalis medulla.

38. Verum à cute incipiendo, primum, humidi sunt nervi, sen-
sum deferentes, deinde, cor, iecur, lien, caro simplex, pulmo, hinc spi-
nalis medulla, cerebrum, tandem osium medulla & adeps.

39. Præterea inter contenta humano corpori necessarij sunt, humo-
res, qui ex elementis per media alimenta gignuntur, & quatuor ele-
mentis comparantur. Nam flava bilis, igni, pituita, aqua, sanguis
aëri, melancholia terræ correspondet, & similibus qualitatibus præ-
dita sunt.

40. Verum præter calorem, partibus singulis connatum, siue tem-
peramentum ex mixtione genitum, à corde, velut fonte caloris innati,
per arterias in totum corpus omnesq; partes, diffunditur, calor, siue
spiritus vitalis, natura calidissimus, cuius appulsu vita existit, excessu,
mors superuenit, & in corpore singularum partium vires in actum de-
ducit, & unit, omniaq; regit ac moderatur.

41. Hæc omnia ad corporis humani constitutionem requiruntur,
& ex his temperamentum totius quoq; æstimatur. Homo autem tem-

peratissimus iudicatur, à corpore, & ab animo, facultatibusq; animi:
A corpore verò, corporisq; habitu, si apta omnium partium sit consti-
tutio, imprimis verò trium partium principalium, cordis, iecoris, &
cerebri: Deinde, si habitus medius sit, inter crassum & gracilem,
mollem & durum, calidum & frigidum, hirsutum, & glabrum: Prae-
terea, si corpus viuidum sit, apteq; perspirans, & pilos habeat colore
medios inter album & nigrum, sed cum puer est, magis ruffos, cum
iuuenis, magis nigros; Ab animo verò, si animo medius sit, inter timi-
dum & audacem, odium & misericordiam, ceterosq; affectus, item, si
prudens, perspicax, alacer, humanus: praeterea, si benè alimenta con-
coquat, & digerat, omnesq; actiones tam animales quàm naturales
inculpatas habeat, & medius sit inter somnolentum & peruigilem.

42. Qui ab hac mediocritate discedunt, intemperati iudicantur;
Nam calidi, latas venas habent, ob iecoris cordisq; calorem: sed pin-
gues non sunt, pilisq; abundant, & capillo magis nigro sunt, & acri
calore praediti, animo verò magno, iracundo, & audaci, verum, si sicci
simul sint, corpore erunt gracili, magisq; nigro, hirsuto & duro: De-
inde animus magis praecipuus, ferus & implacabilis, cum actionum prom-
ptitudine, praeterea peruigiles: sin calidi simul & humidi, erit corpus
magis carnosum, molle, colore ex albo & rubro, obnoxium putridis
morbis: animus verò praecipuus, sed nec ferus nec implacabilis.

43. Qui verò frigidi sunt, angustas habent venas, ex quibus quod
in sanguine pingue est extra desidens concrescit, & non discutitur,
unde pinguiores sunt magis quàm carnosi, & natura desides, corpore
glabro, calore miri, pilis magis albis, animo demissiori & timidiori.

44. Verum, si simul humidi fuerint, erit corpus molle, magis obe-
sum, & debile, deinde segnities, ingenij stupiditas, & somnolentia
maior, sin frigidi simul & sicci, erunt corpore duriore & graciliori,
animo constanti, sed tristi & timido.

45. Verum in temperamento totius aestimando singularum par-
tium, temperamenta prius obseruanda erunt, praecipue verò trium
principum partium, vt Galenus lib. artis medicinalis, declarat: De-
inde

inde

inde nisi equabile temperamentum sit, ex una parte solum non est coniectandum: nec etiam ex solis moribus.

46. Præterea distinguenda est partis naturalis temperies, à non naturali, & videndum, ex quibus, & in quæ mutationes factæ sint. Nam aliquando præsens nota est index prioris temperamenti, quare ante omnia sexus & ætas consideranda erunt.

47. Sexus autem sua constitutio siue temperamentum proprium est; Nam Galen. 2. de semine, non alia ratione marem aut feminam generari dicit, nisi ob caloris copiam & inopiam: copia enim caloris est qua membra genitalia in maribus solis extrudit: quare naturali constitutione, mares semper calidiores, siccioresq; feminis sunt, quod pilorum multitudo, excrementorum natura, actionum robur & celeritas, aliâq; plura manifestè arguunt.

48. Verum, illa sanguinis menstrui in feminis redundantia, à caloris copia non fit, ut quidam voluerunt, sed potius à debilitate caloris, non perfectè concoquentis & digerentis suum alimentum.

49. Deinde, ætas nihil aliud, quàm spacium vitæ, quo actione naturæ calidi in suum humidum, corporis constitutio manifestè mutatur. Mutatur autem corporis constitutio statim à prima generatione pro qua mutatione, alij aliter ætates numerant, & aliqui tres potissimas, iuxta præcipuas mutationes, Adolescentiam, florentem ætatem, & declinantem siue senilem: Hippocrates lib. 7. de carne. ætates ponit, easq; distinguit iuxta annorum septimanas. Alij verò ut annum, ita vitam in quatuor quadrantes diuidunt, adolescentiam scilicet, quæ infantiam, pueritiam, pubertatem, & adolescentiam propriè dictam comprehendit, ad vicesimum quintum aut tricesimum ætatis annum: Deinde iuventutem siue florentem ætatem ad 36. aut 40. Tertio, consistentiam ad 45. aut 50. Quarto senectutem, quæ ingrauescentem ætatem & decrepitem continet, & extenditur ad finem usq; vitæ.

50. Quælibet ætas suum temperamentum habet, ac primum, quia formatio animalis ex semine & sanguine rebus calidis & humidis fit, quibus succedentibus, partes continuè formantur & perficiuntur do-

nec animal in lucem prodeat, edito verò animali velocissimè augetur, erit igitur infantium temperamentum calidissimum & humidissimum, cum in alia conformatio & auctio fieri nequeat: procedente verò etate, animal siccius efficitur, calore naturale humidum suum depascente, ad extremum usq; senium ubi marcescit.

51. In medio extremae humiditatis & siccitatis est florens aetas, sed non frigoris & caloris. Nam ab infantia ad consistentiam usque equalis quodammodo calor manet, differens à puerorum calore tantum qualitate, quae ex difflatus impuritate creatur. Nam puerorum calor, est blandus, vaporosus, substantia purus & copiosus. Iuuenum verò acris, mordax, & ex alieni admistione impurus: qui duo calores tamen, non aliter differunt, quàm idem calor, in solij aqua, & balnei aëre.

52. Quae aetas florentem sequitur, frigidior, sicciorq; semper euadit, quare, extremum senium in frigiditate & siccitate consistit, viaq; ad interitum est, unde naturalis tabes dici poterit: verum illa senum siccitas, est secundum substantiam solidarum partium omnium, & non ratione excrementorum; Nam senes ob debilitatem caloris natui, non concoquentis alimenta, excrementorum copia humidi sunt, licet in partibus solidis siccissimi sint.

53. Consideratur quoq; temperies & intemperies in rebus non naturalibus à quibus alteratur nostrum corpus, ac primum aër nos ambiens variatur, vel ratione temporum anni, vel regionum & locorum.

54. Quatuor anni tempora in se considerari debent ex vincen-
tibus in unoquoq; qualitatibus & non collatione mutua. Sic ver, naturaliter dispositum, calidum & humidum non erit, cum ea constitutio putridis & pestilentialibus morbis maximè oportuna sit, Ver verò, (Hipp. 3. Aphor. 9.) saluberrimum est, morbisq; exitialibus minimè obnoxium, quare propriè erit in medio omnium excessuum, & etiam medium inter aestatem, quae naturaliter sicca calida est, & hyemem, quae frigida humida.

55. Au-

55. Autumnus quoque horum duorum respectu temperatus videri poterit, cum tamen gravissimis morbis sit oportunus, quod inaequalitati caloris & frigoris tribuitur, ut Hip. 3. Aphorismorum 4. hac sententia significavit. Cum eodem die modo frigus afficit, modo calor urget, autumnales morbi expectandi erunt: nihilominus siccior est quam humidior, quare siccus merito iudicatur, sed ex calore & frigore mistus siue inaequalis.

56. Deinde regiones & loca terrae aërem & corpora quoque contenta immutant & variant. Differunt autem regiones pro ratione climatum & positus caeli: quare regiones sub Vrsa. frigida, humidaque sunt; sed teste Galeno 2. Sanit. tuen. c. 7. homines ibidem inaequali temperamento praediti sunt. Nam exteriora frigidiora sunt, ideoque corpore molli, pingui, albo & glabro magis sunt, capillo, recto, ruffo, aut ad album declinante: Interiora vero immodicè calent, unde moribus sunt magis agrestes, feroces autem & inhumani, item simplices & incauti.

57. Qui verò in calidis regionibus degunt, ob ambientis aestum exteriora torrentur, & calor naturalis foras extrahitur, unde cutis sicca & nigra est, corpus gracile, capillus niger, crispus & fragilis, moribus seui & crudelos, ingenio subdoli & astuti: Verum, qui in temperatis regionibus degunt, naturaliter in medio omnium excessum sunt, & totum corpus magis temperatum habent ut supra dictum est.

58. Praeterea natura ipsius regionis corpus animumque variè disponit, & aliter montosa, aspera, aliter curua, pratensis, aliter plana disponit: itidem aliter tenuis aër aliter crassus vel impurus, ac quoque consuetudo & vitae studium, ut Hipp. de aqua & aëre demonstravit.

59. Quae haëtenus proposita sunt omnia actu talia sunt, qualia dicuntur. Potestate verò talia, sunt medicamenta quae corpus nostrum immutant, & alimenta quae in substantiam corporis vertuntur. quae omnia temperata aut intemperata dicuntur collata ad humanum

cor-

corpus potissimum. quia paruo intercedente mutatione à calore naturali corporis, in actum prodeunt. Verum temperata nulla dicuntur, quia idem prorsus cum humano corpore temperamentum habent, ita enim corpora humana essent, sed quia à calore nostro in actum diducta qualitatem hominis non supergrediuntur. Quae verò una vel duabus qualitatibus superant, intemperata vocantur, idq; ab illa qualitate, quae supergrediuntur calida, frigida, humida, sicca. Sed de his alijsq; medicamentorum differentijs suo loco dicemus.

F I N I S.



ULB Halle

3

003 913 791





Sb.

107







1597/3

4

ε